DEO OPTIMO MAXIMO
UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-nonâ mensis Decembris, anno Domini M. DCC. LXXI.

M. MARTINO NOUGUEZ, Doctore Medico, Præside.

An chronicos morbos perverso aquæ usu debellare periculosum?

I.



RÆSTANTIORES & eximias aquæ vires ab omni ævo salubris usus internus & externus abundè comprobavit. Ulterius aquæ encomium foret jamdudum fusiùs actum agere. Non ita supervacaneum videtur causas sistere & modos, quibus infaustos aqua pariat effectus, cum re optimâ frequenter abuti non vereatur. Nemo nos in aquam odii arguat, qui ad dilectissimi parentis nutum & exemplum potûs liberalis, victûs temperantis & diluentis utilitatem & necessitatem in plurimo hydrope inconcussis argumentis, felici & multiplici experimento stabilivimus & confirmavimus. Quis autem institutionibus Medicis decenter informatus ad morbi genus debellandum semper uni & eidem praxeos modo fidebit? Imperitiam, & præconceptam hypothesin æquè manifestant ambo, qui non nisi strictum, exsiccationes & corneas indurationes, aut qui perpetuò & ubique laxum, attenuationes, atoniam sibi læsionum principia effingunt. Hisce systematum commentis aleæ plena agitatur Medicina. Sic fortuitò quidem aliquorum imbecilitas levatur, necessariò autem contingit, ut asclepiadei illius irrationalia consilia, cujus ritus & usus est humectare & inundare, aut stimulare & incalfacere perfidâ sorte expetant ægri, quorum salus contraria exposcit. Sic sæpissimè dolemus ægros non sanabiles nisi methodo veræ theoriæ innixâ, certis indicationibus sagaciter accomodatâ, procaci pseudo-medicorum phantasmate hallucinari, illusorio & fatali eventu enecari. Quam absonum sit aquam & aquosa vaporosis affectibus universalem & solam panaceam jactitare, evictè elucescit ex notionibus fabricæ humanæ, ex infinitâ diversitate causarum, quæ morbos nervosos generant & alunt, ex perpetuis magnorum in arte virorum observatis, quibus certò constat evacuantibus, venæsectionibus, stimulantibus, amaris, balsamicis, aromaticis, halituosis, hypnoticis, vino generoso, carnibus frigidè commestis, equitatione, peregrinatione, veneris usu, abstinentiâ, objectorum & consuetudinis mutatione vaporosas affectiones utriusque sexûs percuratas fuisse. His suppetiis abstineat, qui nescit uti, ineptiæ autem suæ non est conscius, qui insinuare & inculcare non erubescit horrorem laudatorum medicaminum, quibus ab Hippocrate ad vaporosos affectus leniendos & persanandos felicissimè usi sunt & nunc perspicacissimi practici utuntur. Hujuscemodi clamitationibus immorari vetat ipsa illarum fatuitas. Nostrum sit tradere monita quædam utrique sexui communia, ut dum dubias & lethales inversi & perversi aquæ usûs noxas noverit, moriæ vertiginosæ, & transitoriæ inconsultò non obtemperet, sed sibi cautus caveat.

Simplicitas, exilitas, penetrabilitas, fluiditas, humiditas, aquæ vires medicas constituunt. Secundùm has qualitates in organa & in animalem congeriem sanam, morbosam & morbosè generatam aqua varios & contrarios exerit effectus. Ut ordo sit brevis, nec obscurus, exponere morborum diagnosin primò jubet in quibus aqua tanquam insufficiens, illorum diuturnitatem protrahit, secundò in quibus noxia, & tertiò denique inquibus omninò periculosa & lethalis observatur.

I I.

INTENSÆ corporis defatigationes & victus exsiccans cum diuturnis animi mœroribus causas parant & fovent, quibus eretismi cum incommodæ ariditatis sensu conjunctio præter limidum urinæ fluxum potui adæquatum cæterarum excretionum organa quasi asperâ tenacitate præcludit, insuper miseros spasmi, depravata imaginatio & insomnia vexant. Plures etiam vidimus, qui per hebdomadas, per mensem decoctorum vitulinorum, gallinaceorum, seri lactis, aut aliarum ptysannarum dilutiorum quotidie libras X ad XV. hauriebant, sic itidem de die bis & quâlibet vice per trihorium & ultrà balneis tepidis vel frigidis insidebant absque ullo levamine, quin imò cuncta prælertim post balneum frigidum exasperabantur. Prudenti consilio tandem exhibebatur laudanum, cujus beneficio per paucas horas somno indulgere licebat; ægri expergefacti aliqualem eretismi remissionem animadvertebant, propinabantur decocta meraciora, insimul ingerebantur enemata ex emollientibus, deglutiebant serò & postridie laudanum: tertiâ nocte post illius usum transpiratio ad madorem aucta insequebatur placidum & amicabilem somnum. Urina non adeò frequens cùm æneoremate & excretiones per alvum, nares & sputa futuræ valetudinis auspicium confirmabant. In tali morbo balnea & decocta dilutiora nullo modo prosunt, nec mirum exquisitus hic nervorum rigor oritur & protrahitur ab internâ & idiopathicâ cerebri affectione, quam levare & tollere non possunt, nisi ea medicamina, quorum actio specifica læsionis sedem feliciter attingere & ejus causam inhibere & amovere valent.

I I I.

UT in æternum nec minimus quidem sensationis modus sine actuali tensionis gradu obtinere poterit, sic nemo diffitebitur unquam, quod omnis affectio vaporosa à tensione efficiatur. Quousque autem sacrâ hac suâ anchorâ abutantur undosi potûs & fotûs sempiterni concionatores manifestant multifaria & contraria, quæ tensionem efficiunt, siquidem omne nimium ad motûs spasticos prædisponat, illos generet & producat, & indè pro causarum varietate & combinatione symptomatum diversitas & anomalia modificetur: veluti enim causæ conjunctæ vehementiùs & intensiùs agunt, sic causæ contrariæ dum diversa organa obsident peculiares & proteiformes excitant typos & insultus: nec aliter febris ingens corpus exagitat, cujus ponderi sustinendo impar est membrorum vis prostrata, nec aliter fiunt metastases, nec aliter alteri organo cerebrum imperat, aut alterius furor cerebrum obruit. Quod etiam unius organi pars quædam possit esse stricta nimis, altera dum passivè langueat, imprimis confirmant tubi intestinalis & telæ cellulosæ affectiones, nec clinicos latet, quod eò magis ingravescat medendi labor quò propiùs causæ contrariæ in eodem organo vicinantur & deteriores stricti & laxi confusionis effectus produnt Præterea hic omninò meretur considerationem varius vasorum ordo, qui ad organorum fabricam concurrit, & insimul diversa crasis humorum, qui in iisdem organis secundùm vel citrà statum naturalem hospitantur. Jam quis causas omnes & modos enumerabit, quibus vaporosa sensatio in actum duci potest. Dum in statu sano omnia sibi æquilibrant, quæcunque organi actionem propriam aut relativam perturbando motuum irregularitatem efficiunt ea simul vaporosos effectus provocare valent. Hinc quilibet rerum non naturalium abusus, plethora, anemia, discrasiæ, venena intùs genita, rarefactiones & expansiones in utroque sexu nervosos morbos excitare & promovere queunt. Non mirum igitur dum affectio vaporosa non nisi gradu & intensione motuum a cæteris morbis discrepat, quod cum illis ob proximam affinitatem tam sæpiùs indicibili affectuum & symptomatum apparatu complicata videatur. Porrò æquè ac ad tollendum alium morbum requiritur, nonne ut vaporosa affectio sanari possit, necesse est, ut ejus causa amoveatur? Frequentioribus exemplis rem illustrare sufficiet. Vasorum distensio, minorum compressio, motuum circulatoriorum lentor & inæqualitas à sincerâ plethorâ pendet. Hi plethoræ effectus diù non permanent, quin aut morbo acutò excipiantur, aut eâ incommodi sensatione, quæ ad nihil definitum referri solet. Status hic est incipiens affectio vaporosa, quæ nisi plethora minuatur passim in chronicas & intricatas mali ominis læsiones degenerat. Sic à repletione serosâ, ab inertiâ, à pituitâ frigidâ vasa & fibræ ita valent affici, ut vaporosæ tensionis gradum adæquent. Priores nervosos effectus pariunt, nimia quies & victus lautus, posteriores sequuntur exercitium vires superans, potum aquosum & alimoniæ penuriam. Absurdumne censeretur duobus his affectibus vaporosis uni & eidem methodo medendi tentamen? Dum unus virium deficientium restaurationem postulat, & alter ut excessus ad debitam imminutionem auferatur, quem ultimum

ſcopum methodus nulla niſi dubiè, anxiè & periculosè attinget, quin à ſanguinis miſſione initium faciat. Ut autem non agamus niſi de infauſto aquæ abuſu, quæ potu, balneo, clyſtere ingeritur, penetrat vaſa, vel non: ſi poſterius nimiæ conſiſtentiæ & cohæſioni humorum mederi non poteſt, ſi prius liquorum molem & vaſorum diſtractionem auget, & indè ſemper exaſperationem abſervare datur. Aqua quæ in vaſa irrepit aut ex illis immutata ablegatur aut miſcetur cum humoribus: ſi ſeparatur, præter paroxiſmos nullum alium affectum præſtat: ſi humoribus immixta remanet, morbum ob majus volumen jam auget, & dein ob ſubſequentes mixtionis effectus ulteriùs augebit & multiplicabit: extrema enim repletio & ingurgitatio undique motum circulatorium infringit, & quaſi ſuſſlaminat. Tunc ob motûs inteſtini accelerationem, vel dum ob quietem in indolem ſpontaneam vergunt humores, quoquo modò ægrè alterantur; corruptionem hanc depurare & eliminare incumbit, pro niſûs exiguitate, & exiguum erit aut ſæpius nullum ſuccedet levamen. Affluentis depurationis motus criticos undæ tormenta quidem, ſed non abſque tumultu & periculo excitare & promovere valent: etenim niſi materia turgeſcens congruo modo & tempore ſecernatur & ejiciatur, ſub tantâ toni & motuum inſuetorum ataxiâ humorum perverſio & provecta coinquinatio pejora dabit, & eò citiùs, quo debilior fiet vaſorum elaſticitas pro majori ſuâ tenſione. Subſequente demum & ineluctabili functionum languore vires exhauriuntur, chronicarum affectionum miſeriæ ſoboleſcunt & altiores radices agunt. Ex ſiniſtrâ hac effectuum ſerie viderè eſt, quod dum in generali tenſione a turgeſcentiâ humorum nimis laudabilium aquæ uſus intempeſtivus, unicus & ſimplex noceat, noceat itidem aqua uſu indecenti & protervo in ſtricti & laxi complicatione, in diſcraſiâ, in delueſcentiâ veneni intus geniti, in languore poſt toleratos morbos, &c. &c. Hinc uſus aquæ non levis æſtimetur momenti, *morborum enim plurimi aquâ fiunt, horum plurimi tolluntur aquâ, ſanatio feliciſſima perficitur aquâ*, & quidem ubi ſincera plethora debitâ ſanguinis miſſione ablata eſt, ubi depletionem vaſorum oſcillatio inſequitur, non niſi aquæ beneficâ mixtione ſpiſſi humores diluuntur, tùm ad materiæ heterogeneæ ſecretionem & excretionem motus critici expeditiore negotio peraguntur, aliorumve remediorum, quæ indicantur effectus feliciùs ſuccedunt. Simplici aquæ potu & balneo ſæpiùs abſolvitur curatio vaporoſæ tenſionis, quæ fit ut aiunt ſine materiâ. Aquam Medici ominò neceſſariam commendant in confuſione ſtricti & laxi & in variâ diſcraſiâ, ut indè ex compoſito ſimplex per atoniam morbus evaſerit, & eò collimat Celſi conſilium, *ſed eſt circumſpecti quoque hominis novare interdum & augerè morbum*. Verè quidem ſagacitate & prudentiâ opus eſt in curatione morbi abſque renovatione & augmento non ſanabilis, dum ſub hac mutatione niſi artis auxilia & perfugia juſta doſi ordine & tempore adhibeantur ingraveſcens læſio remediorum vim eludit & lethalis hora ſæpiùs anticipatur.

IV.

NON minores cautelas requirit applicatio frigidæ aut glaciei. Feliciſſimos equidem & citiſſimos præſtitit effectus, in expanſione, in rarefactione. in inflammatione & tetano, ſed & experimentum fatale peſſimos pandidit effectûs. E diverſâ cauſâ & vario morbi gradu tantum oritur actionis diſcrimen. Ubi cauſa pendet ab exceſſu frigoris aut caloris glacialis aqua prodeſſe videtur, ſic in regionibus Meridionalibus & Septentrionalibus conſultioris & frequentioris uſûs eſt ac in tractibus temperatioribus. Profuit iterum in inflammatione modo tamen partes fluidiores non nimis diflatæ fuerint, alioquin ob motum ſubitè auctum inflammatio tranſibit in repentinam gangrenam aut in ſphacelum. Hæc teſtantur obſervata. Aquæ glacialis & glaciei actio medica digna eſt diſquiſitione, cui vires noſtras impares fatemur. Sufficit nunc animadvertere, quod utraque non agat ut aqua, ſed velut corpus caloris expers ac ferè materiâ igneâ orbatum (*a*). Exilitate, pondere, fluiditate irrepens & humiditate adhærens aqua deliteſcentem evolvit materiem, pro cujus indole pericula inſurgunt, etenim ſine noxâ latent interdum venena, quæ ſub evolutione ſuâ prorſùs indomita in vaſa irruunt, illa erodunt, & cum illis vitales functiones deſtruunt. In Skirrho omnis motus auctus periculoſus eſt, ſic etiam nimis pertinax & uberior aquæ uſus lethalis fit, *aqua enim ſe inſinuat in poros corporum*, reſolutâ materie poros obſtruente, hinc pondus auget & molem, hinc extenſio, criſpatio, dolor, vaſis ruptura, ſuppuratio, gangrena. *Mirifici ſiunt & ſtupendi effectus ab aquâ ſe inſinuante intra corpora priùs ſicca, hinc quaquà verſùm intumeſcentia, ſicque expandendo facientia ſæpè mutationes incredibiles.* Mirificos in induratione corneâ aquæ effectus tam decantatos quanti nunc æſtimabimus?

(*a*) Conſul, ſpecim, Becch. &c. Boerthaav. att. Theor. &c. Diſſertat. de M. de Maitan ſur la glace.

V.

SUB tot larvarum speciebus sanitati, vitæ & nummis insidiatur, quot variæ generis humani classes decipi possunt. Quî verò fiat, ut etiam *ad morbum cognoscendum* inepti, interdum tamen sufficiant *ad sanandum*, obiter exponere liceat. Nullus morbus nisi mutatione levatur & tollitur, ut enim pertinax quilibet usus mutationem seriùs ociùs inferre valet, sic omnis ætas empiricos, qui ob imperitiam non nisi unicâ methodo, aut astutos veteratores obtulit, qui singularitatis & famæ capessendæ causâ mutationes in ægris sollicitabant mediis, quæ praxeos Medicæ regulis experientiâ & ratione suffultis planè refragantur. Quàm sit horrendum & detestabile tale nefas, judicare est ex illorum operibus, qui tam temerè de corio humano ludunt. Dubio procul ex fraudulosâ hac turbâ excludimus, qui prodiere & abiere systematis undosi præcones. Si fallunt, falluntur, fallunt inscii & generosè, si quidem excelsi est animi gratitudinis stimulo percelli, gratè acceptas Nayadarum favores promulgant, interim Nayadas Æsculapius incusandas censet, eo quod famulos suos non ita temperavère, quin eorum scripta vesaniæ indicium prodant (*a*). Viri sagaces dùm media ad levandos & sanandos morbos tradunt, docent simul, quæ circà eorum usum observanda & vitanda occurrunt, ne ad incolumitatem & reintegrationem commendata usu intempestivo læderent & interficerent. Sic Boerrhaavius æquus rerum æstimator dùm aquam *principium vitæ & sanitatis* celebrat, hæc subjungit monita, *conservatio & putrefactio ab aquâ, morborum plurimi aquâ fiunt, mors ipsa aquæ sæpè tribuenda venit.* Ideò dum vaporosus uterque sexus ad credulitatem proclivis inanibus fabularum narrationibus frequenter decipitur, medicorum est argumenta & observata impertire, ex quibus facilis & in victa conclusio deducatur :

Ergò chronicos morbos perverso aquæ usu debellare periculosum.

(*a*) Consul. Vertus Médicinales de l'eau commune, ou Recueil des meilleures Piéces qui ont été écrites sur cette matiere. Traité des Vertus Médecinales de l'eau commune par M. Schmitt. Le grand Febrifuge par M. Hancok. Extraits de plusieurs Lettres écrites de Malthe en 1724 sur le Remede de l'eau à la glace. Réflexions sur les Lettres precedentes au sujet de l'eau à la glace.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Petrus-Abrahamus PAJON DE MONCETS, *Eques, Academiæ Regiæ Catalaunensis Socius.*

M. Claudius-Thomas-Guillelmus GUILBERT DE PRÉVAL, *rei Herbariæ Professor, Christiani VII. Daniæ & Norvegiæ Regis Consiliarius Medicus, à Medicis Consiliis, necnon Rerum Medicarum à Relatione.*

M. Jacobus GOURLEZ DE LA MOTTE.

M. Simon-Antonius BRINGAUD.

M. Claudius-Josephus GENTIL, *Militarium Nosocomiorum ad Regis exercitum Medicus.*

M. Edmundus-Thomas MOREAU.

M. Franciscus THIERY, *Regis è salubri Consilio, Regii Medicorum Collegii Nanceii Socius honorarius, Regiæque ejusdem civitatis Scientiarum & humaniorum Litterarum Academiæ, necnon Biterrensis.*

M. Ludovicus-Joannes-Baptista COSNIER.

M. Petrus-Augustinus ADET.

Proponebat Parisiis PHILIPPUS-ALEXANDER BACHER, Thannensis Alsata, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Author, A. R. S. H. 1771. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis *Quillau*, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1771.